

Illustrissime et Reverendissime Princeps.

2041

Quid me, ut hoc, quantum est, litterarum exarare voluerim, et debuerim ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram, facile conjectura capiet, simulque atque intellexerit, qui fuerim annos 26. circiter, quique nunc sim, ac me fore tota vita deinceps sperem. Natus ex nobili sanguine, educatus, eruditus industria Calvinianorum, dignitate quoque non una apud illos auctus, ita ut munus Vice-Cancellariatus apud Electoralem Palatinatum, et Consiliaratus apud varios Principes Protestantes Imper. per aliquot annos subiverim (prout ex litteris, quas ad Sanctissimum Dominum Nostrum, quem nunc Oecumenicum agnosco Episcopum, Christi Vicarium, dedi, quarum exemplar his insero, plenius adsequi poterit V.S.) quid potui, nisi eadem cum illis, in negotio Religionis, cultusque divini sapere, ac sentire? Donec in istis dissidiis utriusque factionis, quam nominavi, tam variè, tam prodigiosè inter se dissectis, ut ad exitum decretorium propè sint, animadverti, me in rebus fidei infidè, ac minime securo loco, inter illas pugnas stare. Quid multis? Unum fere Bellarminum audiebam, ubicunque esse gentium, in quem omnes, quantum a mutuis contentionibus vacaret, stylum acuerent, quotquot prae vulgo aliquid scire se arbitrabantur Protestantium Theologi. Quo circa, et illum mihi penitus evolvendum, ut sumpsi prae manibus, ita manus victas illi dare coactus sum. Ringantur, et in omnes formas torqueantur Prothaei illi haeretici, ut canis in umbra lunae allatrat, sic illi in nocte errorum plusquam Cimmeria hinniant in magnum illum Bellarminum omni ritu sectoriorum altiore, qui ut Hercules olim exercitum hostilem Pigmaeorum, nescio quem, sua pelle totum fertur involvisse, sic uno stylo suo, omnes Ecclesiae Catholicae perduellas jugulat, et conficit; unde Herculis Catholici nomen sibi, merito suo, vindicare possit, non minori in nostra Religione cultu prosequendum, quam olim fuit Herculis illius Gallicani, nisi Bellarminus audire malit, quo nomine scilicet omnia comprehendimus, quae eruditioni, assertaeque fidei debent-

/ur; quanta non capit angustia ista epistolaris; cum panegyrico sat  
prolixo,in istam rem,opus sit. Hoc unum volui, hisce praesentibus,  
gratulari mihi, quod in hanc aetatem, et bono Dei ducti in Bellar-  
mini aevum inciderim; en etiam gratum animum quocumque hoc succi-  
5denti inditio testari possum erga illum, cui secundum Deum hoc de-  
beo potissimum, quod in Catholicorum sensu totus sim ex praescrip-  
to Ecclesiae Romanae. Viennae Austriae pridie nonas Octobris 1618.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae

Cliens ad omnia obsequia

10

Michael Mencellius à Mencela I.V.D.

Nobilis Eques pro tempore variorum Electorum  
et Princp.Imp.Protest.a Consil.SeCr. manu propria

---

Summar.add. p.46-47 , ex d.vol.jur. fol.39.